



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum V. Cum Ecclesia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

gunt auctores ex *cap. adversus*. Hæc inquam, statuunt quidem jura in *hoc cap. non minus*, praxis tamen utrum ea observet, viderint illi Prælati Ecclesiastici, quibus in *Extravag. quod olim hoc tit. inter communes*. decreta Conciliorum in *cap. non minus 4. & in cap. adversus 7. hoc tit.* obervanda sub interminatione gravissimæ pœnæ præcipiuntur.

## CAPITULUM V.

## Cum Ecclesia.

## PARAPHRASIS.

Rescivit Lucius III. Pontifex, quod in Ecclesijs & Cæmeterijs (quæ eodem privilegio gaudent cum Ecclesijs, ut ait *Glossa hic V. Cæmeterijs*) causæ criminales tractentur, in quibus de sanguinis effusione, vel pœna corporali decernitur: cum autem Ecclesia secundum Evangelium domus orationis esse debeat, & tutela refugij, ut ait Pontifex, fieri non debet spelunca latronum, & forum sanguinis: & hinc sub interminatione Excommunicationis (inferendæ scilicet per judicem Ecclesiasticum) prohibet, ne hæc talia criminalia judicia in Ecclesijs, vel cæmeterijs tractentur.

## SUMMARIUM.

1. Satis quidem certò colligitur ex hoc *cap. quod cause Sanguinis in Ecclesijs, aut Cæmeterijs agi non possint.*
  2. Nullibi tamen in *lure Canonico reperitur prohibitum, ne judicia Ecclesiastica in Ecclesijs expediantur: quamvis decentius, & convenientius sit, hæc v. g. in palatio Episcopali, aut alibi extra Ecclesiam expediri.*
- 1 Notandum primò. Rationem prohibitionis pontificiæ satis exprimi in *relat. cap. quod scilicet Ecclesia domus orationis esse debeat, & tutela refugij, & consequenter non sit pro conditione aut reverentia lo-*

ci facti, forum illud fieri cruentarum sententiarum & judiciorum criminalium, ubi de sanguinis effusione; aut pœna alia corporali infligenda agitur. Et quamvis nec ex verbis textûs, nec ex ratione satis colligatur, quod judicia Ecclesiastica, in quibus de puniendis Clericorum criminibus agitur, in Ecclesijs aut Cæmeterijs prohibita sint; imò potius his faveat *cap. præceptum 6. cap. 7. q. 2. & cap. qua fronte de appellat.* cum per talia judicia nec forum sanguinis Ecclesia fiat, & omnia minore strepitu expediantur, quàm judicia criminalia secularia: fatentur tamen communiter Auctores, uti videre est apud *Suarez l. 3. cap. 4. n. 11.* decentius hæc, & convenientius expediri in palatio Episcopali, vel alio in loco extra Ecclesiam, cum Ecclesia sit domus orationis, non autem jurgiorum, prout etiam in *cap. qua fronte jam notatum, & in cap. 2. hoc tit. in sexto infra dicitur.*

## CAPITULUM VI.

## Inter alia.

## PARAPHRASIS.

Ex Papa Innocentio III. Rex Scotia quæsit, utrum fugientes ad Ecclesiam defendi debeant. Respondet proinde hæc quæstioni Pontifex, juxta SS. Canones, & legum civilium traditiones, distinguendum esse: vel enim fugiens ad Ecclesiam liber est, vel servus; si liber est, quantumcunque gravia delicta commiserit, ab Ecclesia, ad quam ut asylum confugit, violenter extrahendus non est, nec ad mortem, aut corporalem penam damnandus, sed obtemperans per Recedens Ecclesiarum vitæ & memororum incolumitate, ac integritate, aliâ legitimâ pœna (pecuniaria v. g. ut ait *Glossa hic V. puniendus.*) puniri debet, nisi publicus latro vel nocturnus populator agrorum sit, aut publicas vias oblectat suis insidijs, qui ab Ecclesijs etiam nulla de-